



S E C T I O III.

De Canonica seu Technologia.

HOc est primum, quod prærequiritur à studioso:
 alterum est Canonica, seu Technologiæ cognitio.
 Canonica est generale prodidagma, generalium anti-
 cipatorum ad omnes disciplinas.

Technolo-
 gia quid sit?

Ea non est considerationis Logicæ. Ratio:
 quia Canonica agit de notionibus primis. Lo-
 gica autem tota, quanta quanta est, occupata
 est in notionum secundarum, quæ dirigunt
 mentem in rerum cognitione, explicatione.

D. Keckermannus in apparatu practico, cap. 4. de
 adornandis & colligendis locis communibus
 vocat volumen generale de omnium discipli-
 narum anticipatis & præcognitis generalissi-
 mis. Et D. Timplerus scripsit Technologiam.

Tres sunt
 partes
 Technolo-
 giæ.

*Canonica seu Technologia tres sunt partes: prima
 est didactica, secunda historica, tertia methodica.*

Didactica hos ordine titulos continebit:

1. Didacti-
 ca.

1. De Philosophiâ in genere. 2. de perfecti-
 one intellectus & voluntatis, atq; omnium vi-
 rium hominis. 3. de contemplatione. 4. de
 actione, seu praxi. 5. de factione, seu artificio.
 6. de diversis vitæ generibus & institutis, seu
 professionibus hominum. 7. de habitibus
 mentis. 8. de habitibus voluntatis. 9. de
 studiis liberalibus. 10. de studiis rerum. 11. de
 studiis exemplorum. 12. de studiis verborum.
 13. de intelligentiâ. 14. de sapientia. 15. de sci-
 entia. 16. de synteresi. 17. de prudentia. 18. de
 arte.